

copus alienos subditos indebite ordinantes in jure canonico et constitutionibus apostolicis statutae habentur.

Praeterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriae, quae ideo ad alium antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio Vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem Episcopi dioecesani, ex qua constet vel ipsum a dioecesi abesse vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui, quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua dioecesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus literis contentus sine adjuncta praefata attestazione in forma probanti, ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus, hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius sedis gratiam et communionem habente or-

dinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum Concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint: ita porro omnia similia privilegia, quae aliis ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum ab ipsa etiam apostolica sede et sub quibuscunque tenoribus et formis indulta sint vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore nulla et irrita omnique vigore et robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus, decernentes, hujusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censi, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem re ipsa fuerint concessa vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum literaliter veteris indulti insertionem factae dignoscantur, ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae in forma communi nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari.

Quod vero spectat ad eorundem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem juxta praemissa pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi dioecesim consulta migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere ad pristinum domicilium redeunt, idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant, quasi vero apo-

stolica privilegia non nisi cum aperlo Episcopi dioecesani contemptu suam vim et robur habitura forent.

Denique tam venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri et per charitatem Sancti Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in caeteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sinceram dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quod ipsis a sacrosancta oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit per haec verba: „Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos pro debita et nostra ac apostolicae sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.“ Neque obliviscantur Episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjuutores in dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta synodus: „Ipsos quoque Episcopos hortamur ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent ac benigne foveant etc., et tanquam in agro dominico cooperatores eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant: demum et Episcopi et regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: „Una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus dominus, una fides et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.“

Haec profecto christianae veritatis

et charitatis documenta quum utrumque servata fuerint, omnibus in rebus adeoque in hac etiam ordinationum materia importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam tum etiam debita erga sacros ecclesiarum antistites observantiae contrariam esse ipsi per se facile cognoscent.

Praesentes vero nostras literas et in eis statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eadem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel

decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint. Non obstantibus etc.

Datum Romae pridie Id. Oct. anno 1568, Pontificat. anno III.

Carpenctoracten.

(Conc. Tr. C. 1. 4. Sess. 25. De Regul.)

Conquestus nuper fuit apud Sanctissimum D. N. precibus ad hanc S. C. remissis Procurator Generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, quod Joseph Reynaud frater laicus ab annis circiter sexdecim Professus in eadem Congregatione tribus votis simplicibus emissis, obedientiae, castitatis et paupertatis, nec non voto seu juramento perpetuo in ea perseverandi, nuperime dimisso habitu Congregationem ipsam deseruerit et ad titulum Patrimonii ab ejus parentibus, literas dimissorias ad omnes ordines ab Episcopo suo Carpenctoracten. callide obtinuerit et a Prolegato Avenionen. licentiam suscipiendi ordines extra tempora subripuerit sicque nimium festinanter et illicite imperitus omnes ordines susceperit Missamque celebraverit. Ex quo facto cum d. Reynaud ob desertionem Congregationis sine praevia votorum relaxatione eo ipso inciderit in suspensionem, ad praescriptum Apostolici Brevis desuper editi a san. mem. Alexandri VII. die 26. Septembris 1659 et juxta Constitutiones d. Congregationis cap. 29. lib. 1. ac ulterius alia simili suspensione irretitus extiterit, ob ordines susceptos sine licentia Praepositi Generalis seu Provincialis, juxta dispositionem alterius Brevis fel. rec. Clementis X. sub die 6. Junii 1676 atque exinde Irregularitate quoque innodatus remanserit, ob susceptos ordines et Missam celebratam durante suspensione. Propterea humillime im-

plorabat Orator apostolicam provisionem ad effectum, ut d. Reynaud reassumpto habitu redeat ad suam Congregationem ibique ad suum statum laicalem redigatur.

Episcopus Carpenctoracten. informare desuper requisitus haec retulit: Josephus Reynaud Clericus loci Carumbi hujus dioecesis a me ipso olim insignatus, postea uti Laicus Congregationi Clericorum Saecularium doctrinae christianae nomen dedit et tria solita, paupertatis, castitatis et obedientiae cum juramento perseverantiae tria nempe simplicia vota emisit, me horum omnium inscio. Mox vero ad instantiam parentum illius requisitionem ob solatium matris ad titulum patrimonii legitimi, uti Clericus habens requisita, literas dimissorias ad minores et majores ordines suscipiendos a me obtinuit et praevio indulto apostolico ad eos extra tempora recipiendos a Domino Legato Avenionen. obtento ad solatium matris precibus impulsus e dicta Congregatione recessit, ordines suscepit et Missam celebravit usque ad diem secundam Junii ultimo praeteriti, qua die decretum Intimationis suspensionis, jam contra eum non vocatum nec auditum emanatum a Domino Archiepiscopo ad instantiam Patrum doctrinae christianae Avenionen. eidem Reynaud significatum fuit, cum citatione opportuna die sexta dicti mensis reproducta, a quo tempore revera abstinuit a celebratione Missae servando nihilominus honestum et pium vivendi modum, quem semper servavit. Quibus sic firmatis eidem interim executionem et exercitium ordinum prohibui et trium mensium ad deducendum ejus jura in Sacra Congregatione terminum praefixi. Existimans tamen eum non esse indignum clementia et commiseratione Sacrae Congregationis, cum praemissa ob solum matris solatium et illius impulsu egerit, et vi-

deatur a dicta Congregatione ipso facto exclusus ex dispositione illius Constitutionum etc.

Concordatis itaque inter praefatum Procuratorem Generalem degen. in Urbe et Procuratorem dicti Josephi infra-scriptis dubiis rogantur hodie EE. VV. ex hinc inde in Summar. deducendis resolvere:

I. *An et quas poenas incurrerit Fr. Joseph Reynaud dioecesis Carpenctoracten. Laicus Professor Congregationis doctrinae christianae in Gallia exeundo a d. Congregatione absque dispensatione seu facultate?*

II. *An praefatus Fr. Joseph fuerit licite ordinatus ad Ordines minores et sacros cum literis dimissorialibus sui Episcopi Carpenctoracten. postquam egressus fuit a dicta Congregatione?*

III. *An idem Fr. Joseph sit dispensandus tam in exercitio Ordinum quam in remanendo extra dictam Congregationem, in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad I.: Incurrisse in poenas contentas in Constitutionibus Cong. necnon Suspensionis;

ad II.: Negative;

ad III.: Negative et redeat.

Die 22. Febr. 1710.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp.: Pro absoluteione a suspensione et dispensatione ab Irregularitate arbitrio Episcopi praevio diligenti examine super scientia et idoneitate, et Orator omnino servet vitam claustralem sub obedientia regulari.

Die 5. Septbr. 1716.

Glandeven.

(Conc. Tr. C. 1. 4. S. 25. De Reg.)

Suppliciter jam pridem condoluit Procurator generalis Congregationis doctrinae christianae in Gallia, quod Joseph Lyons Glandevenensis dioecesis

Frater laicus in eadem Congregatione professus, tribus votis emissis simplicibus obedientiae, castitatis et paupertatis cum voto seu juramento perpetuae perseverantiae, dimisso habitu Congregationem ipsam deseruit, nullatenus obtenta licentia Capituli generalis vel definitorii, quod juramentum perseverantiae dispensare valet, subinde neque petita licentia praepositi Generalis sive Provincialis omnes etiam presbyteratus ordines susceperit ab Episcopo Glandeven. ac celebraverit. Idcirco jam dictus Procurator generalis illum in suspensionem incidisse autumavit juxta dispositionem Brevis s. m. Clementis X. 6. Julii 1676 atque insuper irregularitatem propter susceptos ordines et missam celebratam durante suspensione. Suppliciter itaque idem Procurator generalis egit, ut per Sac. Congregationem demandaretur praefato laico, ne auderet exercere ordines, quodque rediret ad suam Congregationem. Particula autem Brevis s. m. Clementis X. est sequens: „Cum facultate, ut omnes ejus clerici post vota emissa et juramentum praestitum, scilicet perseverantiae, de licentia praepositi Generalis et Provincialis ad omnes sacros et presbyteratus ordines serv. serv. promoveri valeant ad titulum d. Congregationis et ordinari a quocunque catholico Antistite ad omnes ordines cum solis dimissoriis Episcopi, in cujus dioecesi existit collegium seu domus, in quibus degunt de familia iidem clerici, qui ad ordines promoveri desiderant: ita tamen, ut Capitulum generale vel definitorium minime dispenset sive relaxet hujusmodi votum seu juramentum alicui ex promotis ad sacros ordines, nisi sibi prius constiterit etiam ex literis testimonialibus ordinarii loci, eum aliunde habere, unde commode sustentari possit, quod si aliquis hujusmodi votis et juramento

obligatus sine dispensatione vel relaxatione praevia recesserit a dicta Congregatione, eo ipso remaneat suspensus donec hujusmodi dispensationem et relaxationem obtinuerit."

Relatis praelibatis precibus in Congregatione diei 18. Febr. 1713 per summarium responsum prodiit, quod darentur decreta edita in *Carpentoracten. Voti perseverantiae et ordinum sub die 22. Febr. 1710 videlicet:*

I. *An et quas poenas incurrerit Fr. Joseph Reynaud dioecesis Carpentoracten. Laicus Confessus Congregationis doctrinae christianae in Gallia exeundo a d. Congregatione absque dispensatione seu facultate?*

II. *An praefatus Fr. Joseph fuerit licite ordinatus ad ordines minores et sacros cum literis dimissorialibus sui Episcopi Carpentoracten., postquam egressus fuit a dicta Congregatione?*

III. *An idem Fr. Joseph sit dispensandus tam in exercitio dd. ordinum quam in remanendo extra dictam Congregationem in casu etc.?*

Quibus dubiis S. Congreg. respondit ad I.: Incurrisse in poenas contentas in Constitutionibus Congregationis necnon Suspensionis;

ad II.: Negative;

ad III.: Negative et redeat.

Certior itaque factus idem Joseph Lyons de hisce decretis morigerus rediit ad Congregationem ac abstinuit a celebrando. Successive vero legitima interveniente auctoritate deffinitiorii, praevia dispensatione juramenti perpetuae stabilitatis ab eadem Congregatione discessit, ut liquet ex documento exhibito; hinc benignitatem SS. D. N. imploravit pro absolutione et dispensatione a suspensione et Irregularitate, quatenus ipsis sit irrelitus, cum caeteroquin credat nullam censuram incurrisse, cum praefatum Breve procedat quoad clericos Con-

gregationis, non autem quoad laicos, et ordinatus ipse extiterit a proprio Episcopo dioecetano Glandevensi. Procurator generalis nihil opponere intendit, quin etiam stante legitimo egressu Oratorem absolvi et respective dispensari posse censet, quatenus incurrerit, addendo, quod ipse moram duxit per aliquot annos in monasteriis Congregationis extra dioecesim Glandeven.

Relatis hujusmodi precibus in praeterita Congregatione EE. PP. demandarunt, ut poneretur in folio; quare in praesenti eorum oraculum expetitur sub dubio: *An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum?*

S. C. C. resp.: Affirmative ad cautelam.

Die 7. Julii 1714.

e) Regularis Laici (Conversi) in Beneficium saeculare cum permissione egrediendi e monasterio fierine debet?

Mediolanen.

(Conc. Tr. C. 11. S. 14. De Reform.)

Bonifacius Majocchi Religiosus commissus sive, ut vulgo dicitur, conversus in monasterio S. Simpliciani ordinis S. Benedicti Congregationis Cassiniensis cupiens ad Sacros Ordines promoveri titulo cujusdam simplicis Beneficii, quod veluti de jurepatronatus familiae suae se facile assecuturum asserit, supplicavit Sanctissimo, ut eam ob causam potestatem sibi faceret egrediendi e monasterio et qualemcumque regularem suum habitum dimittendi. Hisce autem precibus ad Sacram Congregationem remissis Vicarius generalis D. Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis, cui datae fuerant literae, ut ea de re, quid sentiret, audito Superiore praefati monasterii exponeret, sub diem 6. Aprilis 1740 jussu dicti Emi Antistitis tunc in Urbe

degentis retulit, Superiorem monasterii, quem petitionis a Bonifacio promotae consciunt fecit, ejusdem pietate ac obedientia supra viginti annos in claustris praestita commendatis, asseruisse, facultatem religioni non esse ejus precibus annuendi, quum ab Ordinis Constitutionibus vetitum sit religiosis commissis literas ediscere, quia vero ab Abbate Praedecessore permissum fuit Oratori per annos quatuor studiis vacare, religioni propterea minime disceptare, si Orator ab ea egrediatur et sacris initiatur ordinibus, quoties idoneum ad id titulum habeat.

Jussus vero posthac super eodem negotio sententiam suam proferre Procurator Generalis Congregationis Cassinensis significavit, conversos sive, ut ajunt, commissos sua in Congregatione receptos, post unius aut plurium etiam annorum probationem stabilitatem polliceri et simplicia emittere religionis vota, iis vero, donec in eadem Congregatione permanent, ex praescripto Constitutionum nullo modo ad sacros Ordines patere ascensum. Et quamquam nonnullas ob causas in dictis Constitutionibus expressas conversi queant a Congregatione dimitti, valde tamen inter doctores ejusdem Congregationis dubitari: num id Superioribus liceat eam tantum ob causam, ut quis ita dimissus ac simplicibus religionis votis exsolutus ad sacros possit Ordines promoveri: caeterum se existimare, quod sacrae hujus Congregationis auctoritate decerni queat, ut eum Superiores in finem propositum a Congregatione dimittant, praesertim quia Orator ipse affirmat, sibi non deesse Beneficium simplex, ad cujus titulum ordinetur.

Sane praeter peculiare Ordinum Constitutiones, inspecto etiam communi jure, interdictum est religiosis Laicis sive Conversis ad sacros Ordines ascendere, quemadmodum statuit

s. m. Clemens VIII. in ejus Constit. 83. §. 34. et s. m. Urbanus VIII. in Constit. 26. in haec verba: „Qui ad Conversorum habitum suscepti fuerint, ad Clericorum statum transire etiam durante tempore probationis non possint“, et tradunt Emus *Petra* in Comment. ad Constit. Apostol. Constit. 8. Eugenii IV. num. 16., *Passerinus* de stat. hom. tom. 3. quaest. 189. art. 8. num. 227., *Donatus* rer. regul. tom. 2. part. 2. tract. 14. quaest. 14. num. 1. et 2., qui subdit, optima ratione id factum esse, ut juxta praeceptum Apostoli 1 Cor. c. 7. unusquisque permaneat in sua vocatione, in qua vocatus est, et ut item auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine murmure et Praelatorum molestia.

At ubi justae in hypothesi suppetent causae, ob quas videretur concedi posse Oratori transitum ad sacros ordines, major forte occurreret dubitandi occasio: num ob id permittendum sit illi egressus e monasterio debeatque absolutionem a simplicibus, quae emisit, religionis votis impartiri? Quaestio namque excitata fuit utique inter Doctores: an religiosus laicus transire queat ad aliam religionem minus arctam, ut in ea ad statum clericalem elevetur? quod negat *Suarez* tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. num. 11., quia clericatus per se, ut inquit, non pertinet ad statum perfectionis, neque illam conferat, licet eam suo modo postulet, affirmant vero cum D. *Thoma* quidam relati per *Passerin.* de stat. homin. tom. 3. quaest. 189. art. 8. num. 229., qui tamen n. 239. ad rationem a *Suarez* allatam respondet, clericatum quidem non esse statum perfectionis simpliciter, ideoque non licere transitum religiosi ad clericos saeculares, quia clericus non est in statu perfectionis, licere vero transitum religiosi laici ad regularem

obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concessio vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeretur atque ita per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae sedis praedictae nuntios aliosve quoslibet quacunque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etc.

Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eadem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius

deducantur nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes seu earum transumpta ad valvas Ecclesiae S. Joannis in Laterano et Basilicae principis apostolorum de Urbe nec non cancellariae apostolicae curiaeque generalis Innocentianae in monte citatorio et in acie campi floriae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi sique publicatas et affixas omnes et singulos, ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter insinuatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Maj. die 27. Febr. 1747.

D. Cardin. Passionens.

Brixien.

Conquestus apud hanc Sac. Congregationem est Episcopus plura ab Abbate Monasterii Stambensis Ordinis Cisterciensis haud rite legitimeque fieri. Abbas inquit Leonem X. indulsisse Hispanae Congregationis Cisterciensis Familiae, ut ejus Monachi vigesimo secundo aetatis anno Sacerdotes fieri possent; Gregorium vero XIV. privilegia eidem Congregationi ab aliis Pontificibus impertita confirmasse, ac denique Urbani VIII. privilegia, quibus Congregatio Hispanica potiebatur, communicasse Cisterciensi Congregationi Germaniae. Verum satis constat Privilegia quaecumque abrogata quoad hoc a Sacro Concilio Tridentino fuisse,

cum in Cap. 12. Sess. 23. de Ref. sic habeatur: *Regulares quoque, nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque penitus exclusis.* Privilegiorum vero confirmatio generatim facta a Gregorio XIV. itidemque communicatio ab Urbano tributa non videtur referenda ad privilegium jam abrogatum sublaturumque de medio, nisi de eo peculiaris facta fuisset mentio, quae vim novae concessionis posset habere.

Nullos itaque Regulares ope veterum privilegiorum posse ante aetatem a Tridentina Synodo praestitutam ad sacros Ordines promoveri luculenter demonstrant *Passerin.* de stat. hom. tom. 3. qu. 189. art. 10. inspect. 10. n. 841., *Tamburin.* de Jur. Abb. disput. 2. quaest. 15. tom. 2., *Emus Petra* ad Constit. 7. Pii II. n. 57. et seq. tom. 5. Affirmat tamen Abbas Stambensis se nunquam cum suis Monachis super hoc dispensasse.

Circa III. Dubium Clemens VIII. anno 1586 edixit: *ne Regulares quicumque Ordines ab alio susciperent Episcopo, quam ab eo, in cujus Diocesi degunt, praeterquam si iste abfuerit vel Ordinationes non esset habiturus,* certis tamen etiam circa id adjectis conditionibus, ut videre est in Decreto, quod refertur et confirmatur in novissimo Concilio Romano tit. 21. cap. 2.

Respondet Abbas sibi licere ad quemcumque Catholicum Antistitem dimittere Monachos sibi subjectos pro Ordinibus suscipiendis ex vi Bullae Leonis X. itemque alterius promulgatae a S. Pio V., quae incipit: *Et si Mendicantium,* ac denique Brevis pro Cisterciensibus editi a Clemente VIII. anno 1592.

At Constitutio illa S. Pii V. fuit inde a Gregorio XIII. reducta ad terminos juris et Sac. Concilii Tridentini, ut in Bullar. tom. 2. Constit. 9. ejus-

dem Gregorii. Bulla vero Leonis X. et Breve Clementis VIII. non fuerunt hactenus in medium prolata. Sed animadvertendum est, quod aliud Decretum ejusdem Pontificis Clementis, quo per modum legis universalis Regulares jubentur Ordines suscipere ab Episcopo Dioecetano, editum fuit anno 1536, adeoque quadriennio post illud, quod prodiisse dicitur pro Cisterciensibus. Hanc itaque legem ubique esse servandam pluries rescripsit haec Sacra Congregatio, cujus Decreta refert, materiam hanc fuse tractans, Eminentissimus *Petra* tom. 1. ad Const. unic. Urbani II. n. 5. et seqq., et tom. 5. ad Const. 7. Pii II. num. 83. et seqq.

Denique profertur ab Episcopo Transactio inita anno 1689 cum Abbate Monasterii, in qua declaratum inter caetera fuit Monachos Ordinibus majoribus initiandos mitti debere ad Episcopum Brixien.

Definiendum igitur erit:

1. An liceat Abbati Monasterii Stambensis Ord. Cisterciens. dispensare super aetate cum Religiosis sui Monasterii sibi subditis pro suscipiendis s. Ordinibus? Et quatenus negative;

2. An Monachi ejusdem Monasterii ad Ordines promovendi praeter literas obedientiales teneantur exhibere Ordinario Brixien. fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima aetate?

3. An liceat Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis Ordinibus sine literis dimissoriis dicti Ordinarii? Et quatenus negative;

4. An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in aetate vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus et sine dimissoriis Episcopi Brixien. sint licite ordinati? Et quatenus negative;

5. An et in quas poenas tam Abbas quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint?

S. C. C. resp.
 ad 1.: Negative;
 ad 2.: Negative, dummodo in literis obediencialibus exprimat aetas;
 ad 3.: Servetur decr. Clem. VIII. anni 1596;
 ad 4.: Negative;
 ad 5.: In poenas canonicas.
 Die 28. Novbr. et 12. Decbr. 1733.

Caputaquen.

Cum alias conquereretur apud hanc Sac. Congregationem Episcopus Caputaquen., quod Superiores Carthusiae Sancti Laurentii Oppidi Padulae illius Dioecesis contra praescriptum Decreti ejusdem Sacrae Congregationis editi de mandato san. mem. Clementis VIII. sub die 15. Maii 1596 dimiserint quosdam suos Monachos ordinandos ad Episcopos Policastren. et Marsicen., proposita et resoluta fuerunt infrascripta dubia sub die 11. Februarii 1708:

I. An Monachi Carthusiani S. Laurentii Terrae Padulae Caputaquen. Dioecesis promoti ad Ordines tam Sacros quam Minores ab Episcopo Policastren. et Marsicen. sint licite ordinati? Et quatenus negative;

II. An et quas poenas incurrant ipsimet Ordinati et eorum Superiores?

Resp.: Incurrisse poenas contentas in decretis san. mem. Clementis VIII., sed ex gratia absolvendos.

Renovavit nuper querelas idemmet Episcopus, quod eo irrequisito praefati Superiores vigore trium Apostolicorum Brevium extra tempora nuncupat. pri-demque obtentorum tres suos Monachos ordinandos dimiserint ad eundem Episcopum Policastren., a quo re ipsa ordinati fuerunt; unde videns propriam jurisdictionem laesam humiliter exoravit pro remedio opportuno, transmittendo exemplar unius ex praedictis Brevibus, in quo haec inter alia recensentur: „Tibi ut de Superiorum

tuorum licentia a quocumque, quem malueris, catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente per te eligendo ad dictum Sacrum Presbyteratus Ordinem unica Dominica promoveri, et promotus in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, autoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus nec non Antistiti obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.“

Citatis itaque Partibus concordatisque infrascriptis dubiis ex utrinque deducendis rogantur EE. VV. resolvere:

I. An Monachi Carthusienses Monasterii S. Laurentii Padulae Caputaquen. dioecesis ordinati ab Episcopo Policastren. in vim Brevium Apostolicorum sint licite ordinati in casu? Et quatenus negative;

II. An et in quas poenas inciderint tam ordinati quam Prior dictae Carthusiae in casu?

Sacra Congregatio die 6. Julii 1709 respondit ad I.: Affirmative; ad II.: provisum in primo.

c) Obedientiae promissio.

Gandaven.

Quum Rmus Gandaven. Ep. S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: utrum Ep. in Ordinatione Regularium in sua dioec. degentium dicere debeat: *Promittis Ordinario Tuo obedientiam etc.*, vel potius: *Promittis mihi etc.*

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in hodiernis Ordinariis Comitibus ad Quirinale coadunati, infrascripto Secretario referente, respondendum censuerunt: „Servetur clara dispositio Pontificalis Romani?“

n. 5127 die 22. Julii 1848.

Vd.: *Ordin. Regul.* (condit. etc. *Constitutio Bened. XIV.* diei 27. Febr. 1747; *Ordinatio* (temp., decr. Pii VI.).

d) Regularis e Monasterio egressi.

Pius PP. V.

Romanus Pontifex conciliorum auctor et interpret illa, quae in hujusmodi conciliis a prudentibus Patribus in Spiritu S. legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, quum aequitas, honestas et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane quum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, S. Trident. Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus saecularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posse, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem. Quum autem nulla in hujusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (uti moleste accepimus) certorum ordinum religiosi seu canonici vel clerici, intra claustra monasteriorum seu domorum regularium in commune viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, religionis praetextu absque titulo sufficientis beneficii nec juxta dicti decreti tenorem ad sacros ordines se promoveri praetendunt, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque ideo plerumque illud inconueniens eveniat, ut sic promoti et a claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendi-

care vel sordidum quaestum exercere non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio et quamplurimorum fidelium scandalo cogantur. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de clericis saecularibus loquens ad omnes et singulos etiam cujuscunque ordinis clericos religiosos more religiosorum viventes in communi non professos harum serie extendimus et ampliamus ac religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri, nec non omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos hujusmodi religiosi personis impendere nisi observata forma dicti decreti non valeant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum suspendimus, statuentes et decernentes, promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines hujusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cujusvis licentiae, illis ab apostolica sede vel illarum superioribus, cujuscunque dignitatis, status, gradus et praecminentiae existant, etiamsi pontificali dignitate fungantur vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu factas, executione praedictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus et irritas existere, sicque promotas personas in altari ministrare non posse, quinimo ministrantes privilegiis et exemptionibus, immunitatibus et aliis gratis clericis concessis omnino privari, et irregularitatis aliasque in dicto